

- ① Übersetze den Text. Leg ihn der Fachkraft vor.

Gewinner und Verlierer

Parentēs liberīque Circum Māximum intrant.

Mārcus, amīcus Aulī, et Claudia, amīca Cornēliae, clāmant: „Properāte!

Multī spectātōrēs iam sedent.“ Gaudium puellārum et puerōrum magnum est,
nam hodiē agitātōrēs praeclārōs exspectant: Aurēlium et Bassum.

Tandem quadrīgae* in Circum Māximum veniunt.

Cornēlia: „Ecce tunicam prasinam¹! Est tunica Bassī.“

Pater Cornēliae clāmat: „Basse, equī tuī vincere possunt.“

Cornēlia Claudiam amīcam et Mārcum, frātrems eius, rogat: „Nōne factiō (2) prasina
etiam vestra est?“ Liberī respondent: „Nōn est!

Factiō nostra est ...“ Cornēlia verba eōrum nōn iam audit, nam clāmor hominum magnus est.

Spectātōrēs sīgnum imperātōris exspectant.

Paulō post tubae canunt et imperātōr sīgnum dat. Statim cunctī equī currere incipiunt.

Agitātōrēs equōs suōs incitant, equōs cēterōrum arcent.

Spectātōrēs surgunt agitātōrēsque factiōnum suārum incitant.

Aurēlius et Bassus inter agitātōrēs praestant. Clāmor hominum crēscit.

Iam Aurēlius Bassusque ultimum spatium (3) incipiunt. Quadrīgae Bassī Aurēliīque simul ferē ad
mētam veniunt.

Subitō Cornēlia clāmat: „Currus (4) Bassī spīnam tangit. Ecce,corruit (5)!“

Aulus Bassum cōnspicit et rogat: „Estne Bassus mortuus?“ „Vidē! Sē servat“, Cornēlia respondet.

Tum Mārcus: „Ecce: Aurēlius vincit!“ Cornēlia tacet. Pater eius clāmat:

„Pecūnia mea perdita (6) est!“